

beati similiter neque esurient, neque sitient.

XI. Cur ad extremum esurire voluit? Resp. primo, ut diabolo occasionem præberet se tentandi, dum imbecillitatem humanam fami obnoxiam præ se tulit, ut sic ad pugnam eum proliceret, et gloriose vinceret. Secundo, ut mone-ret nos jejunia non debere fugere ob inedia-m secuturam. Qui enim ex præcedenti ingluvie pos-tero die nihil esuriunt, tanetsi Ecclesiæ præcep-tum non transgrediuntur, nihil tamen meriti acquirunt, quia neque ex motivo temperantiæ, neque cum afflictione aliqua jejunant.

XII. Cur Christus a diabolo se gestari passus est? Resp. primo, ut non scandalizemur quod etiam crucifigi voluit: et si etiam nunc a malis sacerdotibus gestetur, offeratur, et a peccatori-bus etiam in communione sumatur: a magis item et sagis indigne sæpe tractetur. Unde S. Gregorius, hom. XVI. in evang. ait: *Quid mirum si se ab illo permisit in montem duci, qui se pertulit etiam a membris illius crucifigi?* Secundo, ne per-turbemur, si quando a tentatione inflammmur, velut si motu iracundiæ aut carnis rebellione vel cogitatione mala abripimur et statuimur ante res illicitas, imagines turpes, etc. modo non assen-tiamur per delectationem vel consensum, sed constanter resistamus; primi enim motus peccata in se non sunt. Passus est Christus duci a dæmone corpus suum, sed non seduci voluntatem: sic licet a pravus motibus corpus occupetur et feratur caro quo tu non vis, nihil damnationis tibi est, modo non assentiaris sed fortiter repugnes. Concupiscentia fomes est: si vel una scintilla voluntatis in eum cadat, ignis peccati exardescet. Quod si igitur hoc vel alio tempore diabolus forte quem abducat in tentationem gulæ et in-temperantiæ, suadens ebrietatem vel jejunii trans-gressionem: Dic ut piscis iste caro, quadrage-sima bacchanalia fiant: illico tu oppone: Non in sola carne vel ebrietate vivit homo, sed etiam in pisce, temperantia et jejunio: si sudeat ut deorsum te mittas in grave aliquod peccatum, confessionem mutiles in eaque scelus aliquod reticeas et ita communices, responde: *Non ten-tabis Dominum Deum: si suadeat ut servitium Deo debitum et animæ opportunum his diebus ipsi impendas, ipsius voluntatem facias, etc. re-plica tu: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* Jam si angeli sancti viderint te sic pu-gnantem, tandem ad te accedentes ministrabunt tibi, solatium et auxilium ferentes, tandemque velut victorem in manibus suis gestabunt ad triumphos cælestes.

XIII. Quare Christus ad diaboli petitionem nullum facere miraculum voluit? Respon. primo,

quia quaecumque fecisset, nullo modo prodesse poterat ad diaboli salutem. Tam proprie et adæ-quate congruit Christo nomen Jesu, id est Sal-vatoris, ut nihil unquam fecerit, quod non pro-moveret alicujus salutem. Plenariam quidem potestatem quidvis faciendi accepit a Patre suo: ea tamen nullatenus, nisi ad hominum sa-lutem uti voluit, ut vel ex eo patet, quod fecit et dixit Lucæ IX. cum noluit sua gratia perire Samaritanos, dicens: *Nescitis cujus spiritu estis: Filius hominis non venit perdere animas, sed salvare.* Unde sapienter Psal. XXVIII. vocatur *dilectus quemadmodum filius unicornium*, quia licet summa potentia præditus sit, ea tamen non nisi salutem hominum quæsit, quomodo unicornis seu mo-noceros robustissimo suo cornu venena dispel-lit et aquas a serpentibus infectas sanat, ut po-tari a bestiis queant. Christi igitur exemplo diri-gamus omnia opera nostra ad salutem nostram vel alienam, nec id omne justum æstimemus, quod possumus; dicamus cum apostolo: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Secundo, quia diabolus perpetuus hostis est, nulla prorsus gra-tia dignus. *Fas non erat*, inquit S. Chrysostomus, hom. V. ex variis in Matth. *Dominum voluntati diabolicæ obtemperare, quam profitebatur inimicam.* Eademque ex professo expendit, hom. XXIX. ad pop. demonstrans, quod quamvis non essent paratæ pœnæ iis, qui diabolo obsequuntur, vel ex eo solum deberemus ei petita negare, quod est hostis noster crudelis, perditionem nostram omnibus modis quærens. Convenerunt aliquando (scribit Hier. Bapt. de la Nuza, in tract. evang. tract. VIII. § XXXVI. ex S. Chrysostomo, hom. XXIX. ad pop.) aliqui sancti monachi, inter se de rebus spiritualibus conferentes, eaque apud illos interposita est conversatio, quodnam efficax es-set remedium ad revincendas omnes diaboli ten-tationes. Quidam dicebat, quod se mortis mu-niebat memoria, et considerabat, quod cito erant transitura omnia, etc. alter, se pœnarum infer-nalium consideratione roborari fatebatur; ter-tius, judicii extremi metum et terrorem oppo-nendum tentationibus inimici, tamquam reme-dium validum credebat; sicque singuli, quod in animo erat, exponebant. Concluserunt tamen con-versationem ultimus, dicens: Hoc sibi maximum remedium, cum tentationibus urgebatur, consi-derare; quisnam esset, qui eum excitabat, qui cum eo loquebatur petens et suadens illicita, et hoc ipso quod expendebat hunc dæmonem esse inimicum, impium, crudelem, vilem, perpetuæ damnationis sententia condemnatum, ejus pel-lebat tentationes, dicens: Numquid ego, qui a Deo creatus sum ad gloriam possidendam,

et ab ipso adoptatus in filium huic vili man-ceptio, omnibus bonis privato, omni iniquitate repleto, obsequi debeo? Ex quibus progreditur Chrysostomus, ad reprehendendam homi-num nequitiam inurbanam et inverecundam, quod Deo loquenti, petenti, roganti aliquid a no-bis fieri, non obtemperamus, qui est rex, domi-nus, pater, amator nostri, ut vitam pro nobis vere posuerit, et sanguinem pro nobis dederit; cui vel hoc solo nomine deberemus obtemperare: et dæmoni inimico, creduli acerboque hosti, qui nos genusque nostrum perdidit, et perpetuo id

ipsum procurat, deformi, vili et omnibus malis repleto, vel solo verbo excitanti, statim obedi-mus, vel ut hinc solum nos æterna damnatione dignos probaturus sit in Dei judicio ipsemet ini-micus: quem Cyprianus considerat, tunc procla-maturum coram judice contra nos: Ego pro istis, quos mecum vides, o judex æquissime, nec ala-pas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi; sed nec regnum illis cæleste promitto, nec ad paradysum revoco, et tamen mihi loquenti crediderunt, excitanti consenserunt, roganti morem gesserunt, etc.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

AD JEJUNANDUM STIMULI.

I. Non est tam dura lex jejunii, uti quibusdam apparet. — II. Jejunii lex valde utilis. — III. Jejunii lex summæ auctoritatis.

THEMA.

Cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esurit. Matth. IV.

Non est inutilis nec curiosa quæstio, quidnam egerit Christus in deserto per dies quadraginta. Ad hoc vero respondet S. Marcus, cap. I. *Erat cum bestiis.* Sed quid cum illis egit? Dicitur Dei sapientia seu Filius, Prov. VIII. *ludere in creaturis suis creandis et conservandis omni tempore. Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.* Videtur ergo Christus subinde in deserto lusisse etiam et de-lectasse se cum bestiis, creaturis suis. Jam vero: *Si gloria magna est sequi Dominum*, ut ait Eccles. c. XXIII. ludamus et nos cum bestiis per hanc quadagesimam. Quænam vero illæ? Jejunium, veteris hominis renovatio, crebra confessio, fre-quens communio. Bestiæ hæ videntur forsitan aliquibus, et horrorem incutient; sed nequa-quam timendæ sunt: ludere cum iis possumus, quemadmodum et Christus ludere cum feris quasi cum catellis poterat in deserto. Et quia quadruplex bestiarum genus est, aliæ natatiles, aliæ reptiles, aliæ quadrupedes, aliæ volatiles, e singulis unam quasi regem aliarum ad lusum provocemus. Aggrediamur primo piscem. Ex historia Tobie, c. VI. scimus Tobiam juniorem missum peregrinatum cum angelo, primo die itineris exisse ad flumen Tigris, ut lavaret pedes.

Ibi mox immanis piscis pronatat, et rictum suum aperit quasi juvenem devoraturus. Exclamat ergo Tobias: *Domine invadit me.* Sed angelus animose jubet apprehendere piscem atque ex-trahere. Forsan etiam piscis hic aliquos terrebit, qui inchoata jejunia timent, ne ab eo devoran-tur: sed non est quod metuant. Nam:

I. Piscis hic tam grandis et robustus non est, ut nos devorare queat. Fluviatilis solum est, non marinus, adeoque non deglutiet nos. Quare id unum necesse, ut animose apprehendatur juxta adhortationem Raphaelis: *Apprehende bran-chiam ejus et trahe eum ad te.* Quod ubi Tobias fe-cit, piscis mox palpitare cepit ante pedes ejus. Hunc in modum magno animo amplectendum est je-junium quasi in branchia una, et mox apparebit tam asperum non esse, quam fingitur aut puta-tur. Permittitur in primis una in die refectio, eaque paulo liberalior: vespere item conservan-dæ valetudini boli aliquod: non prohibetur po-tus, excipiuntur dies dominici, eximuntur qui ob certas causas, jejunium sustinere nequeunt: quales sunt pueri, senes, pauperes, laboratores, iter agentes, prægnantes, ægri, nemo obligatur cum gravi suo damno.

Quam multi toto anno nunquam cenant ex mera electione, vel ob sanitatem, vel ob fasti-dium? Et quam multi olim gentiles semel tan-tum in die saturi fiebant? Antiqui etiam Chris-tiani multo quam nos rigidius jejunarunt. Nos nihil omnino poterimus? Sed murmurabit sto-machus, concidet vultus, deficient vires, et in-firmabor, inquis. Respondeo tibi, quod Daniel respondit principi eunuchorum: *Tentans obscra servos suos diebus decem et dentur nobis legumina ad vescendum, et aqua ad bibendum*, Dan. I. Probe

per dies decem an possis jejunare. Quare unusquisque saltem quantum præstare potest et vires patiuntur, jejunare satagat. Tali moderamine Levit. XII. præcepit Deus pro filio primogenito offerri agnum. Quem si parentes ob paupertatem dare nequirent, offerri saltem duos turtures; ac si nec hos possent, duos saltem pullos columbarum. Neque ita institui debet jejunium et mensa apparari, ut nihil omnino famis aut molestiæ sentiatur; alioquin jejunium non erit. Unde S. Lauren. Justin. dicebat: *Non simul ac corpus fuerit extenuatum, de abstinentia recedendum est; imo propterea est abstinendum.* Quare sicut Caligula imp. si quem mala morte interire jussit, dicebat licitori: *Sic feri ut sentiat se mori* apud Suet. ita tu jejuna sic, ut sentias te esurire. Quis etenim parum famis non libenter ferat, si Christum quadraginta diebus amore sui jejunasse cogitet? Ac licet nonnisi iis ex actis dicatur esurisse, probabile tamen est eum interea etiam aliquid famis sensisse, ad majus suum meritum et exemplum fidelium, etsi non tantum ut cibum requireret; uti observat Franciscus Lucas in hod. evang. Ad hæc abstinuit interea ab omni cibo, qui bene comedere cum gustu quidquid luberet poterat. Insuper sub dio semper hiemali, et frigida tempestate, a baptismo scilicet suo, seu a 6. jan. usque ad 15. febr. mansit: ubi nonnisi in dura humo cubuit, pernoctans in orationibus.

II. Piscis ille valde salutaris Tobiae fuit, quia partim alimentum, partim medicinam præstitit. Ita jejunium corpori prodest et animæ. Tria bona ex pisce illo habuit Tobias: ejus enim beneficio depulit dæmonem a sponsa sua, sanavit cæcum parentem suum, et carnibus ejus in via se sustentavit. Eadem suo modo præstat jejunium, dæmonem ejusque infestationes depellit a carne nostra. Subtrahit enim illi arma, quibus nos expugnat, gulam et ingluviem, qua caro ad lasciviam provocatur. Ideo Christus ante dæmonis tentationem ad doctrinam nostram jejunare voluit. Cur in bulla cœnæ Domini præcipitur sub gravissima excommunicationis poena ne Christiani ferrum et arma Turcis subministrent? Utique propterea, ne iis nos impugnent. Arma dæmonis sunt intemperantia nostra, et plenus venter ejus armamentarium. Hæc ei si subtrahamus, inermis erit. Cur quæso David Sauli dormienti in tentorio hastam suffuratus est? I. Reg. XXVI. quia Saul ea Davidem aliquando configere conatus erat, et conari rursus poterat, I. Reg. XVIII. Nos per jejunium auferimus lanceam dæmoni, qua nos conficere solet. Quare ridendi esse videntur, qui carnem se domare

aut dæmoni nos tentanti resistere posse negant cum penes ipsos sit, arma ei negare.

Secundo, sanitatem corpori etiam tribuit et conservat. Medicorum omnium sententia plerique morbi ex repletionem stomachi, ciborum intemperantia, varietateque gignuntur. Jejunium hæc tollit: *Mater ergo sanitatis jure appellatur a S. Basilio, ser. I. de jejun. et S. Hieron. uti vicissim gula mater ægritudinis.* Quin et Eccl. c. XXXVII. testatur: *In multis escis erit infirmitas: qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Bene etiam alius quidam sapiens dixit, pene omnes homines mori gula. Vivunt ergo temperantia. Galenus præstantissimus medicus Trajani et Antonini imp. ait: « Abstinentia summa est medicina, » apud S. Bernardinum, ser. V. in die cin. ubi addit exemplum de prælato, qui non poterat curari medicina: sed factus monachus, propter jejunia et abstinentiam curatus est. Qui ad tempus cum visitaretur a medico, dum comederet fabas, interrogatus, quomodo sanus factus esset, respondit: *Fame et fabis.* » Moxque: « Legimus quosdam morbo articulari et podagræ humoribus laborantes proscriptioe honorum ad simplicem mensam et pauperes cibos redactos, convaluisse. »

Tertio, alimentum præbet. Qua ratione inquis. Quia si sæpe jejunes, habebis diu unde vivas; si autem gulæ et inebriari studeas, cito ad pauperiem redigeris. « Numera, inquit S. Basilius, quædomi habes hodie, et numera postea: nihil penitus per jejunium minuetur: at si convivium exercere incipias, nihil brevi habebis. » Præter hoc lucratur tibi vitam æternam. Jam: « Qui jejunaret qualibet die pro lucrando florenum nec posse jejunare se dicit pro lucrando cœlum: manifeste declarat, quod amplius diligit nummum quam Deum, » ait S. Bernardinus, ser. cit.

III. Angeli ductoris optimi præceptum, Tobiam animavit ad piscem apprehendendum per branchiam. *Angelus magni consilii* Christus est, qui a tempore apostolorum jejunium hoc incepit, postea præcepto stabilivit. Branchia est quasi auris piscium; unde obedientiam significat, de qua dicitur: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus,* Matth. XVIII. Sane satrapæ Darii ea una ratione perpulerunt Darium, ut mitteret Daniele in lacum leonem: *Quia lex Medorum et Persarum est, ut omne decretum quod constituerit rex, non liceat immutari;* tametsi rex pro Daniele liberando valde laboraret, Dan. VI. Atqui lex quadragesimalis jejunii lex universalis Ecclesiæ est per summum pontificem promulgata, striete igitur servanda. Nonne sæ-

pius videmus, quod et canes doceantur abstinere a cibis, etiam in os ingestis, metu dominorum? Et non curet Christianus præceptum Domini sui? Mirum certe, quod totus Saulis exercitus ad unam stultam et inutilem regis adjurationem, cum videret n.æl ad manum fluens, famelicus licet et fatigatus, abstinerit usque ad vesperam; quod jure miratur S. Chrysostomus, hom. XIV. ad populum. Et si Jonathas, qui decretum patris nesciens gustavit mel, morti a patre adjudicatus fuit: quid fiet ei, qui præceptum Ecclesiæ adeoque etiam Christi, per Ecclesiam nos gubernantis, sciens volens spernit? Certe S. August. ser. LXII. de temp. ait: *In quadragesima qui non jejunat, sentiet penam.* Sensit dives epulo in inferno, qui cum Judæus esset, nulla observavit jejunia, (quorum tamen multa Judæis præcepta erant, ut patet ex Zach. VIII. et XIX. et aliunde) siquidem epulabatur quotidie splendide. Si quotidie, ergo nunquam abstinuit, nunquam jejunavit. S. Basilius, orat. II. de jejun. ait: *Jejunium quadragesimæ violare periculosius esse, quam si miles abjecto scuto ad aciem inimicorum transfugiat.* Quis autem nescit hoc militibus capitale esse? Idem in ser. in vespera quadrag. ait angelos in Ecclesia circuire, et catalogo inscribere Christi jejunantes. Quare videat unusquisque, ne e numero jejunantium se eximat, adeoque transfuga fiat: ejusmodi fuit is, qui e numero quadragesimæ militum martyrum frigidum stagnum deseruit, et in vicinum balneum desiliit; ubi et in pœnam perfidiæ statim dissoluto corpore periit, ut idem S. Basilius scribit, hom. in quadragesima martyres.

Nos cum reliquis illis militibus stemus simul, quotquot hoc stadium quadragesimæ ingressi sumus, ut totidem coronis donemur: ne unus quidem huic numero desit, ne vel uni desit corona.

CONCIO II.

CUR CARNIS ESUS A JEJUNII DIEBUS PROSCRIBENDUS?

I. Quia mater Ecclesia prohibet. — II. Quia magna ratione prohibet. — III. Quia lex jejunii difficilis non est. — IV. Quia transgressio abstinentiæ a carnibus sapit hæresin in homine latentem.

THEMA.

Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Matth. IV.

De mœcha quadam canit Ausonius poeta, quod cum virum enecare vellet, propinarit ei

venenum, atque ut efficacius esset, addiderit argentum vivum. Sic factum plane contra intentionem feminae, ut vir incolumis esset, dum venena inter se pugnantia se mutuo enervarunt adeoque mixta innoxia fuerunt, quæ divisa mortem viro attulissent. Videtur mihi Satanas similes insidias Christo Domino posuisse. Venenum ei propinat adulter, et foedissimus angelus, dum ad jejunium solvendum et famem saturandum invitat: *Dic ut lapides isti panes fiant.* Verum stulte et infeliciter, quia huic ipsi veneno contrarium aliud admiscuit, quod primum illud elidit, nimirum: *Si Filius Dei es.* Si enim o stulte Satan, Filius Dei est, ergo nihil faciet aut creabit sine voluntate et jussu Patris sui: si Filius Dei est, ergo non solo pane, sed et aliis cibis, imo solo Dei verbo vivere potest: si Filius Dei est, ergo satis virium habet ad jejunium superandum, et abstinentiam ferendam: si denique Dei Filius est, ergo tuo saltem hortatu comedere non debet, nec tibi in re aliqua parere, aut quidquam tecum commune habere. Videtis igitur uno propinato veneno alterum enervari a stultissimo Satana. Quod Christo Domino duci nostro molitus est, hoc etiam nunc militibus ejus molitur. Invitat eos hoc etiam tempore maxime, ut ex piscibus seu esurialibus cibis carnes sibi faciant. Sed qua ratione? *Si Filius Dei es,* si bonus Christianus es. Ad hoc venenum perimit illud primum: Si enim talis es, nequaquam decet carnes jejunii tempore comedere. Itaque hoc est presentissimum antidotum contra tentationem illam; sic Goliathum proprio ense conficimus, quod nunc melius exponemus.

I. *Si Filius Dei?* Adoptivus, si bonus Christianus es, ergo etiam filius obediens Ecclesiæ es; ergo matri prohibenti tibi carnem hoc tempore, non gravate obedies. Notum est vel parvulis ex catechesi illud S. Cypriani martyris: *Non habebit Deum patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem:* multo magis terribile illud fulmen Christi Matth. XVIII. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Laudantur in sacra Scriptura, Jer. XXXV. et pervicacibus Hebræis proponuntur in exemplum Rechabite, qui ad præceptum patris sui Jonadab vino abstinerunt una cum posteris suis per omnem vitam suam. Posuit enim Jeremias jussu Dei ante Rechabitas scyphos plenos vino et calices, et dixit ad eos: *Bibite vinum,* sed illi mox responderunt: *Non bibemus vinum, quia Jonadab filius Rach, pater noster, præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, et filii vestri usque in sempiternum.* Postea sic argumentatus Deus per Jeremiam contra Judæos: « Numquid non recipietis disciplinam ut obedia-

tis verbis meis, dicit Dominus? Prævaluerunt sermones Jonadab filii Rachab, quos præcepit filiis suis ut non biberent vinum, et non biberent usque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris sui: ego autem locutus sum ad vos de mane consurgens et loquens, et non obedistis mihi. » Eodem prorsus modo arguet nos, si non audieremus præceptum matris nostræ Ecclesiæ, quæ de mane, a tempore apostolorum scilicet usque ad diem hanc præcipit et inculcat nobis per episcopos et pastores jejunium quadragesimale et abstinentiam a carnibus. Quid igitur superest, nisi ut Rechabita illi immorigeros Ecclesiæ filios accusent et condemnent? Præceptum illud Jonadab non fuit strictum sub aliqua comminatione vel pœna injunctum, sed vel volentibus filiis impositum, vel consilium tantum, (quia durum erat valde posteros obligare ad omnem vini abstinentiam per totam vitam; ut ibi notat Cornelius a Lapide,) annexam habens promissionem longæ vitæ: *Ut vivatis multis diebus super faciem terræ*; quia scilicet filiis honorantibus parentes promittitur longævitas vitæ, Exod. XX. At præceptum jejunii strictum est, quia nec durum, per paucos tantum dies ab unico prohibens cibi genere, et annexam habet comminationem pœnæ. Ejus rei specimen edidit Sanctus Godfridus episcopus Ambiensis in suis subditis, qui eo in Carthusia degente quadragesimam carnium usu violarunt; suspendendo eos ab eucharistiæ mensa usque ad secundam paschatis feriam. Cumque unus eorum spreto ejus mandato muliebrem sexum mentiens, communioni se ingessisset, repente tanto viscerum dolore correptus est, ut humi stratus et spumas cruentas ejiciens, eucharistiam cum multo sanguine evomere coactus sit, ut in ejus vita Nicolaus monachus Suession. apud Lipel. 8. dec. Denique, Innocentius III. ad Brachar. archiepiscopum, de observatione jejunii, consilium nostrum, vult etiam pro iis, quibus exurgente causa conceditur licentia vescendi carnibus, oreitur; quasi etiam illi pœna aliqua compensare licentiam illam debeant. Quem non terreat hoc verbum summi Ecclesiæ pastoris.

II. *Si Dei Filius* et bonus Christianus es, non potes dubitare Ecclesiam matrem sapientissimam rationabili de causa permotam, carnis esum præ aliis cibum nobis prohibere. Ipse enim apostolus ad Rom. IV. ait: *Bonum est non manducare carnem*. Bene ergo et consulto præcepit id Ecclesia. Primo, ad nostram mortificationem et poenitentiam, ut quia ab omnibus cibis juxta exemplum Christi abstinere non possumus,

saltem ab aliquo, eoque magis delectabili abstinemus. Cujus rei specimen nobis dedit David, quando concupitam aquam e cisterna Bethlehem, utique cæteris meliorem, sibi allatam effudit, ut suam concupiscentiam castigaret, II. Reg. XXIII. Parum aut nihil est a vilioribus abstinere, interim se lautioribus replere.

Secundo, ut per carnis abstinentiam præparemus vasa nostra ac mundemus ad eucharistiæ sumptionem. Caro enim carnalium cogitationum et concupiscentiarum seminarium quoddam est, magis quam alii cibi, itaque cum carne Christi virginea et sanctissima esuriales cibi melius cohærent. Certe Hebræi nervum non ederunt, ex quo illorum patriarcha Jacob in nervo femoris ab angelo incisus fuit, Gen. XXXII. Nervis malarum concupiscentiarum non minus est carnis esus; quid mirum si interdum saltem incidatur et a mensa excludatur? Præsertim quia simul etiam meminisse possumus Domini nostri, cujus caro in passione misere propter nos laniata et cruentata fuit.

Tertio, ut nostra exerceatur obedientia erga Christum et Ecclesiam. Hanc etiam ob causam arbor scientiæ boni et mali posita fuit in paradiso, in se bona optima; optimisque vestita fructibus (omnia enim quæ fecit Deus, bona valde erant) ad probandam in ea primorum parentum obedientiam. Ideoque divina destinatione et eventu a Deo præviso appellata est *lignum scientiæ boni et mali*: quod in ea deprehendendi essent. Si obedirent et abstinerent ab ea, boni; si non, mali futuri: ut docet S. Augustinus, XIV. de civit. cap. XVII. Sanctus etiam Basilius, hom. IX. Quod Deus non sit auctor malorum, id expresse docet: « Cur, inquit, lignum hoc in paradiso fuit per quod nos diabolus tentaturus erat? Si enim deceptionis escam ac materiam non habuisset, quoniam modo nos sibi obtemperando ad mortem deduxisset? Quoniam mandatum esse oportuit, ut nostram erga Deum probaret obedientiam. Ideo planta pulcherrimis fuit floribus scatens, ut in abstinentia voluptatis, animi continentis virtutem ostendentes, patientiæ coronam promererentur. » Sic ille. Jam vero idipsum facit Deus per Ecclesiam in esu carnis. Itaque certo sibi persuadeant, homines illos bonos esse, qui huic Ecclesiæ præcepto obediunt, malos qui non obediunt, temere scilicet, et absque rationabili causa.

III. *Si Filius Dei* et bonus Christianus es, utique tam cordatus ac robustus eris, ut unico illo cibo abstinere possis, quo carere poterant in primis homines a creatione mundi usque ad

diluvium per annos 1656. et amplius. Prius enim legitur Deus herbas tantum homini dedisse in escam, postea autem et animantia, Gen. I. et IX. Et quem illi intemperi sani fuerunt! Quanto tempore vixerunt! Tunc poteris ad breve tempus carnibus abstinere? Accusant multi primos parentes, quod una arbore vetita, aliis omnibus concessis, non abstinuerunt: et cur filiæ Adæ carnibus ad tempus permissis, aliis esculentis abstinere nequeunt; quibus tamen abstinit Adam, cum totius orbis monarcha esset? Sed quid Macchabæi septem adolescentes? Nonne dirissimis tormentis excrucii ac mori maluerunt, quam porcina gustare, quam lex non naturalis, sed cæremonialis tantum eis prohibuit? II. Macch. VII. Quam modica differentia inter vitulinam et porcina? Et tamen cum illam ederent, hanc priusquam gustarent, laniari maluerunt. Cumque amici Eleazaro de primoribus Scribarum suaderent, ut simularet comestionem, et afferret carnes similes porcina, noluit vel simulare vetitam comestionem, et mori præoptavit in atrocibus tormentis, II. Macch. VI. Quid commemorem quadraginta illos rusticos, cui cum a Longobardis immolantibus carnes comedere cogentur? Et recenset S. Gregorius, I. dial. c. XXVII. ne vetitum comedendo conditorem suum offenderent, elegerunt gladiis vitam finire.

Quid nostræ ætatis, et e scholis nostris, puerum decennem Viennensem, qui anno 1561. cum jubilæi causa triduo præscripto jejunare vellet, a parentibus tamen Lutheranis prohibitus, domoque expulsus ad aviam catholicam profugit, ibique jejunia peregit? In II. tom. annal. soc. n. 168. Tu ergo non poteris quod isti pueri et rustici?

IV. *Si Filius Dei*, et bonus Christianus es, nihil habeto commune cum dæmone et ejus asseclis. Ad quid carnem tibi tali tempore offert Satan et ministri ejus hæretici; quia nimirum ejus comestionem in odium ss. canonum, præcipue suadet hæresis. Unde qui non abstinent, parum catholici habentur, imo cum hæreticis sentire putantur. At vero quid Filio Dei et Ecclesiæ cum hæreticis? Quæ conventio Christi et Belial, id est, hominis exlegis? Hæretici destinata opera devorant carnes his diebus, ut nobis insultent; et lætantur cum male faciunt; ut quid non etiam nos insultamus ipsis rigida abstinentia; et lætamur cum bene facimus! Hinc enim vetuit jejunare Melchisedes Pp. diebus dominicis et feriis quintis in odium gentilium et hæreticorum, qui id ex superstitione faciebant, ut alibi retulimus.

Dei que, astus dæmonis totum hoc molitur, ut una cum buccella intret in os hominis, sicuti in Judam, et denique accuset eum ac prodat, sicut prodidit primos parentes, post lapsum eos secutus cum se absconderent fugientes. Ibi enim deprehensus et damnatus fuit serpens, ubi et Adamus; ergo usque ad medium ligni, seu densarum arborum, secutus erat reum. Quis vero aures præbeat tali consiliario, qui præbenti proditor et carnifex efficitur? Quare sicut improbi illi apud Isa. cap. XXII. non tam alliciunt, quam repellunt, dum aiunt: *Comedamus et bibamus, cras enim moriemur*, ita etiam Satan sua carnis illecebra magis terret, quam invitat. *Terruisti, non seduxisti*, (ait S. August. in Psal. LXX. explicans illum Isaia locum) *plane hoc ipso, quod postea dixisti: Cras enim moriemur. Adi contra a me: imo jejunemus et oremus, cras enim moriemur*. Idipsum etiam nos respondeamus Satanae: *Terruisti, non seduxisti, plane hoc ipso, quod dixisti: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes (vel, ut panes isti carnes) fiant*. Audi contra a me: imo jejunemus, et a carnibus nunc abstineamus, quia Dei filii et boni Christiani sumus, et manere volumus. Vade igitur Satana: et accedite ad nos angeli Dei, ut vestro saginati cibo, qui jejunium et abstinentia est, tandem in vestrum adseiscamur numerum, et una vobiscum stemus ante Deum, ministrantes, et laudes ei canentes per infinita sæcula.

CONCIO III.

CONCUPISCENTIÆ TRIPLICES EXTERMINANDÆ.

I. Concupiscentia oculorum seu avaritia. — II. Concupiscentia carnis. — III. Superbia.

THEMA.

Vade Satana. Matth. IV.

Tribus armis instructus venit Goliath contra Davidem gladio, hasta, clypeo. Ita enim David ad ipsum: *Tu venis ad me cum gladio, et hasta, et clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini*, I. Reg. XVII. Tribus etiam armis oppugnat Satanas Christus in hodierno evangelio, gula, avaritia et superbia. Gula, offerendo ei lapidem in panem vertendum; avaritia, ostendendo et promittendo omnia regna mundi; superbia, deferendo obsequium angelorum. Nimirum hæc illi triplicia dæmonis tela sunt, quæ edicit S. Joan. I. Jo. II. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et*